

Has equidem ex errore superstitiosa vetustas  
Finxerat, in vero Diuorum nomine aberrans.  
Nulla ibi fraus tamen, & nullus committitur error,  
Quando volunt res esse sacras socialia casti  
Iura thori, Superum quas curet maximus ordo.

Egregiam verò laudem, famamq; ferebant  
Persæ, (quo titulo quoque laudabantur Hebræi)  
Quando sibi multas uxores duxerat vnus.

Huic etenim patriam multum debere putabant,  
Quod numerosa per hunc proles accesserit orbi, &  
Pignora pignoribus numerans adiunxerit Vrbi.

Fortè studes dici Abrahamo sanctior ipso?  
Quem sacra appellat multarum pagina patrem  
Gentium, & hoc titulo decorat, quia se quoque iunxit  
Coniugi, & illius castis amplexibus hæsit.

Fortè cupis dici Iacobo sanctior ipso?  
Qui per seruitia electam diuturna redemit  
Rachæilem, ut tandem Sponsa fruereetur amica.

Mente potens Salomon, cuius sapientia ad astra  
Effertur, magnoq; extollitur undiq; plausu,  
Uxorum quantum ille gregem (nam copia maior  
Est numero) priuata inter sua tecta fouebat?

Tu verò fortasse etiam es sapientior ipso?

Quid si esses ipso vel Socrate castior? ille  
Ille domi uxorem Xantippen pertulit æqua

Mente, ferox quamuis, morosa, & inutilis esset,

Quo-

TIT.

Ab autori-  
tate & ex-  
emplis.

Persæ.

Hebræi.

Abraham.

PAL.

Iacob.

TIT.

Salomon.

PAL.

Socrates.

Xantippe.